

*Paulinae extant tituli Graece scripti, Cretensis ap. Halbherr Museo ital. di antich. class. 3, 1890 p. 669, Pamphylius Lebas-Waddington 1360.*

**326** Matidiae | Aug.<sup>1</sup> | Fel. Iul. Olisipo<sup>2</sup> | per | Q. Antonium | Gallum, | T. Marcium Marcianum | II vir.

*Olisipone (Lisboa) semel descripta saec. XVI (II 4993). — 1) Cf. N. 327 not. 2. — 2) Felicitas Iulia Olisipo cf. N. 323.*

**327** Matidiae | divae Marcianae | [A]ug.<sup>1</sup> nepti, divae | Matidiae Aug.<sup>2</sup> f., divae | Sabinae Aug. sorori, | imp. Antónini Aug. Pii | materterae<sup>3</sup>, bule et civitas | Efesiórum, | c. a.<sup>4</sup> Successó lib. próc.

*Ephesi rep. (III S. 7123). Huic Matidiae, apud scriptores non memoratae, filiae Matidiae maioris et fortasse L. Vibii alicuius (cf. not. 2), praeterea positi sunt tituli Campani X 3833. 4744—4747, Vicetinus V 3111, Augustanus III 5807, et fortasse Lanuvinus VI 1007 et Dalmaticus III 2731. Stemma eius dedit Mommsen C. X p. 467. — 1) Soror Traiani, cf. N. 298. — 2) Est socrus Hadriani, memorata in vita eius c. 5, consecrata ab eo a. 119 (act. Arv. p. CLVIII cf. p. 88 Henzen), in cuius honorem habuit vel scripsit orationem, quae superest ex parte in lapide Tiburtino XIV 3579. Notandum est in titulis illis Campanis quamvis et ipsis positus diu post consecrationem Matidiae, eam non dici divam Augustam, sed tantum Augustam. Sacerdotes divae Matidiae feminae reperiuntur Arimini (XI 445) et Comi (V 5647). Maritum huius Matidiae fuisse aliquem L. Vibium Borghesius probare studuit ex titulo quem L. Vibius Aug. l. Florus posuit Vibii Sabiniano Matidiano Matidianae liberis (VI 28804). — 3) Matertera Antonini dicitur Matidia, utpote soror Sabinae uxoris patris eius adoptivi; sane lege uxor adoptantis non fit mater adoptati (Mo. X p. 467), sed Hadrianus et Sabina parentes Antonini dicuntur etiam supra N. 322. — 4) Curam agente.*

**328** L. Aelio Caesari, | imp. Caes. Traiani | Hadriani Aug. pont. | max., trib. pot. XXI, | imp. II, cos. III, p. p., filio, | divi Traiani Parthici | nepoti, divi Nervae | pronepoti, trib. pot., | cos. II<sup>1</sup>, pue[r]i et [p]ue[[lae alimentari].

*In oppido Umbriae S. Angelo in Vado, nunc Urbini (Orelli 829, mihi descr. Bormann). — 1) A. 137 cf. supra N. 319.*

**329** L. Aelio Caesari, | divi Hadriani Aug. | filio, cos. II.

*Romae in mausoleo Hadriani (cf. ad N. 322), descripta reperitur in vetere codice Einsidlensi, de quo supra p. 28 not., et denuo saec. XIV et XV (VI 985). — L. Aelium Caesarem, defunctum kal. Ianuariis a. 138, sepultum esse in monumento Hadriani legitur in vita Veri c. 11. Titulum positum esse post mortem et consecrationem Hadriani apparet.*

**330** [C]eion[iae], | L. Aeli Caes. f., | Plautiae, | Q. Servili | Pudentis<sup>1</sup>, | d. d. p. p.

*In provincia Africa loco dicto Tukáber, ubi fuit municipium Tuccabor (Eph. ep. 3, 532). — 1) Ceionia Plautia filia fuit L. Aelii Caesaris, qui ante adoptionem Hadriani erat L. Ceionius Commodus, soror imperatoris Veri, unde in titulo urbano Graece scripto C. I. Gr. 5883 appellatur ἀδελφῆ ἀντοκρατόρων, scilicet per Verum etiam soror M. Aurelii. Maritus eius Q. Servilius Pudens fuit consul ord. a. 166.*